

-¹
 20 Summi forma patris cur pecuale sapis?
 Motibus² incumbis permutans infima summis
 At te Parcha notat torre Charonque vocat.
 Ne patrię limen repetas, facit improba Syren
 Dissuadetque polum caupo, culina polum.
 25 Legati certe lex est mandata referre,
 Tu quoque legati munere functe, redi
 Orte polo, moriture solo, rediture sed illo
 Pro cęlo terras hospes et exul amas³.
 Non herus aut heros colit hęc, sed in exule miles,
 30 Advena, non civis, carnea sceptrā geris.
 Navim, ne redeas, cum transis equora, vendas?
 Cur tua proponas, cur aliena colas?
 Milicie sudas, securus ut otia ducas,
 Hostis non ut opes pro lare patris ames.
 35 Aera carpit avis, gramen pecus, equora piscis,
 Constant naturę singula lege suę.
 Sanctior a⁴ cunctis animantum parque ferendis⁵
 Limite prescripto solus aberrat homo.
 Iussa recognoscit, quicquam discernere nescit,
 40 Spectatrix celi⁶ forma recumbit humi.
 Accipe, mortalis, tua sit substantia qualis:
 Florida mane cluit, vespere quassa ruit.
 Quid, caro, mox vermis, quid pulvis et umbra⁷ superbis,
 Mors cum seva labor, vita sit ipse pavor?
 45 De tenui filo pendet sors nostra⁸. Quid ergo
 Ense sub exerto cornua tollet homo⁹.
 Omne capax finis puncti tenet instar in imis,
 Aut puncto siquid res minus esse sinit.
 Sors titubat rerum, fallit brevis umbra dierum¹⁰,
 50 Nam quicquid cepit, sub necis ense perit.
 Ultra Cumaeos spem tu tibi porrigis annos¹¹,
 Cum presens stabilem deneget hora fidem.
 Vivere sincere, finem sine fine timere,
 Et vere vives simodo summa times.
 55 Vita recensetur, ubi mors post busta timetur,
 Ne vivendo male bis moriāre, cave.

1) Der Hexameter fehlt. 2) aus 'metibus' korr. Hs. 3) Vgl. Fortunati
 carm. VI, 8, 5 f. 4) 'ac' Hs. 5) Vgl. Ovid. Met. I, 76. 6) Vgl.
 Ovid. Met. I, 85 f. 7) Vgl. Horat. Carm. IV, 7, 16. 8) Vgl. Ovid.
 Pont. IV, 3, 35. 9) Vgl. Psal. 74, 5 f. 10) Der Hexameter (49) ist
 hinter den Pentameter (50) geschrieben, Hs. 11) Vgl. Ovid. Pont.
 2, 8, 41.